

Paulus 1. Cor. 8, 4. 6. Eph. 4, 6. 1. Tim. 2, 5. Interim nihilominus partim in genere mentio fit plurium, Gen. 1, 1. cap. 3, 2. Jer. 10, 10. partim in specie trium, imprimis Num. 6, 24. in benedictione populi sacra, & Jes. 6, 4. ubi unum quidem DEUM folio insidentem conspiciebat Propheta, triplici tamen compellatione Angelicâ salutatum: quid? quod in baptismo Christi circa Jordanum luculentius & penè sensibilibiter se prodiderint, Matt. 3, 16. Ipseque Christus emittens Apostolos, baptizare jusserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Matth. 28, 19. & Johannes Apostolus citra verborum involucra apertè edisserat; tres esse testimonium perhibentes in cœlo, Patrem, Verbum & Spiritum Sanctum. 1. Joh. 5, 7.

§. 4.

Ubi nota simul uniuscujusque exprimitur interna, quòd in S. S. Trinitate illâ alius audiat Pater, alius λόγος seu Filius, alius item Spiritus S. Quod alibi plenius sic traditur, Patrem modò inenarrabili ab æterno genuisse Filium s. Verbum, Psal. 2, 7. Prov. 8, 24. Mich. 5, 3. Joh. 5, 26. Rom. 8, 32. Spiritum S. verò ab utròque procedere, Joh. 15, 26 c. 14, 26. Rom. 8, 9. Gal. 4. Ità quidem, ut neuter utròque alterius sit vel Accidens, vel qualitas, vel cogitatio aut decretum, vel sonus evanescens, vel motus creatus, nec vel nuda relatio, sub diversò respectu alterius gestus repræsentans, sed subsistens individuum, vivum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab aliò, id quod stylò consuetò personam appellant. Terminos commodiores & magis perspicuos Græca suppeditat lingua, è quâ Doctores ità secernunt, unicam esse ὁσίαν, tres verò ὑποστάσεις, (desumptò hòc vocabuli è phrasì Apostolicâ, indigitante Filium χαρακτῆρος τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, Hebr. 1, 3. Et hìc nulla vel major vel minor, vel prior vel posterior: ratione ordinis Pater quidem vocatur prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia Persona, nequaquam tamen ratione temporis, gradus aut dignitatis. Symbolum Athanasianum sic habet: *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. sed Patris & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas, equalis gloria, & coæterna majestàs; Item: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, & tamen non tres Dii, sed unus est Deus.*

§. 5.